

nem, sed per naturam. Ac denique intellexerunt eum esse, qui sibi ipsis, cum primum creati sunt, per fidem est propositus, ut eum venerarentur, et tanquam suum caput ac principem recognoscerent, quod ipsi facere detrectantes, ejusque divinitatem ambientes, tanquam fulgur e caelo ceciderunt.

9. *Testimonii Pauli, 1 ad Cor. 2, prima expositio.*— Superest ut explicemus illa verba Pauli, 1 ad Cor. 2: *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixerunt.* Quæ a multis non de dæmonibus, sed de Judæorum principibus, vel in universum de principibus, seu desipientibus, seu philosophis hujus sæculi intelliguntur. Quod patet ex Orig., hom. 2 in Cantica; et Tertul., l. 3 contra Mare., c. 6; Chrys., Hier., Theoph., Anselm. ibi. Et est probabilis expositio, tamen habet difficultatem, quam attingam sectione sequenti. Præterea illa verba Pauli: *Sapientiam loquimur, non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi,* non videntur Judæorum principibus convenire. Tum quia non possunt dici *principes hujus sæculi.* Tam etiam quia Paulus universaliter loquitur dicens, neminem principum hujus sæculi cognovisse mysterium Christi, quod propter solos Judæos dici non potuisset. Quod argumentum visum est Cajetano ibi insolubile. Sed responderi posset, quod si qui erant principes sæculi, qui Christum potuissent et debuissent agnoscere, maxime erant principes Judæorum, ut Pilatus, ac alii, inter quos Christus versatus est; et ideo potuit Apostolus, ex eo quod Christus est crucifixus ab illis principibus hujus sæculi propter ignorantiam, generaliter concludere, non esse agnatum a principibus hujus sæculi.

10. *Secunda expositio.*— Sed quidquid sit de hac expositione, alii verba illa de dæmonibus interpretantur, quæ etiam expositio est probabilis, et satis consentanea textui, eamque Hieronymus amplectitur, Dan. 40; Amb., 4 ad Cor. 2; et ibi Anselm.; August., dicta q. 66 Novi Testamenti, ubi propterea negat, dæmones cognovisse Jesum esse Filium Dei, quamvis cognoverint esse Christum. Ille vero non est certæ auctoritatis. Gregorius etiam, locis supra citatis, verba illa de dæmonibus intelligit, et propterea in posteriori loco dicit dæmones prius in miraculis Deum cognovisse; postea vero, dum viderent eum passibilem, de cognitione sua in dubitationem ceciderunt. Sed melior est responsio, quæ ex priori ejus loco colligitur: nimirum non dixisse Paulum, ignorasse dæmones Chri-

sti divinitatem, sed mysterium absconditum in Christi passione et morte, scilicet, salutem ac reparationem hominum, ac imperii dæmonum eversionem, maximamque Dei gloriam et honorem in ea contineri. Ita exponit D. Thomas hic, dicens: *Non ideo dæmon Christum Judæis crucifigere persuasit, quia Filium Dei non esse putavit, sed quia se morte illius non prævidit esse damnandum.* Quæ verba sumpsit D. Thomas ex Beda, locis supra citatis. Eandem expositionem tradit Leo Papa, ser. 9 de Pass., dicens: *Neque ipse itaque diabolus intellexit, quod sæviendo in Christum, suum destrueret principatum, qui antiquæ fraudis jura non perderet, si se a Domini Jesu sanguine contineret, sed malitia nocendi avidus dum irruit, ruit, dum capit, captus est, dum persequitur mortalem, incidit in Salvatorem.* Cajetanus etiam, tam 1 ad Cor. 2, quam hoc loco, ingeniose declarat quomodo dæmones, etiamsi divinam majestatem in Christo cognoverint, non propterea a Christo persequeundo abstinuerint; quin potius ex odio et ira, quam contra Deum et res omnes ejus inveteratam habent, vehementius in eum exarserint. Quod ita potest amplius explicari. Nam dæmones ita Deum odio habent, ut si possent in ipsam divinitatem irruere, eamque in nihilum redigere, id facere tentarent. Ergo etiamsi cognoverint Christi humanitatem esse deificatam, et ipsius Dei singulari modo effectam, multo majori odio mortem, ignominiam, atque omnia illi machinarentur mala. Item etiamsi dæmon cognoverit personam Christi, non propterea contineri potuit ex amore, aut reverentia (ut per se constat), neque etiam ex timore servili, quia nullum certum damnatum timebat, ut magis jam explicabo.

11. *Objectio.*— Duæ vero difficultates supersunt in hac expositione. Priore est, quia non videtur potuisse dæmon cognoscere Jesum esse Messiam ac verum Deum, et ignorare per passionem et mortem ejus esse homines redimendos, quia hoc etiam erat expresse prædictum in Prophetis, præsertim in Psalmis et Isaia; quin etiam ipse Christus sæpe prædixerat se post triduum resurrecturum; ergo necessario hoc etiam credebatur dæmon; ergo sciebat per mortem tendere Christum ad gloriam, non tantum suam, sed etiam aliorum. Nam hoc etiam satis aperte prædixerat ipsemet Christus, ut cum dicebat: *Vado parare vobis locum, ut ubi ego sum, et vos sitis.* Posterior est, quia dæmon, ut Judæos ad necem Christi incitaret, præcipue movebatur ex

odio Dei; ergo, quamvis sciret futurum esse ut per mortem Christi amitteret imperium in omnes, non propterea desisteret a procuranda morte Christi, quia intelligebat majorem fieri injuriam Deo, Christum occidendo, quam quolibet alio peccati genere. Hanc ergo injuriam præ nimio odio prætulisset cuicumque alteri incommodo.

12. *Responsio.*— Ad priorem difficultatem respondetur, eas prophetias non fuisse adeo claras, ut necessarium fuerit dæmoni omnes intelligere antequam impleverentur, et ideo facile potuit vel ignorare illas, vel certe non animadvertere. Præsertim cum ob nimiam superbiam et invidiam totus esset positus in Christo expugnando et superando. Considerandum est enim, sicut, cum homo vehementi passione ducitur adversus inimicum, non semper considerat incommoda sibi imminentia, et licet interdum aliquo modo repræsententur, fidem non adhibet, sed seipsum excæcat, ita accidisse dæmoni ob pravum affectum quem in Christum habebat. Multi vero existimant in ipsamet nocte passionis Christi, quando jam antiquæ prophetiæ ad exitum perducebantur, cœpisse dæmonem aliquid suspicari, et per uxorem Pilati voluisse Christi mortem impedire. Ita sentit Ans., Lyr., et Cajet., Mat. 27; et Petr. Com., in hist. Evangelica, c. 166; et optime Bern., ser. 1 de Resurrectione. Sed hoc valde incertum est, nam multi antiqui Patres existimant, non dæmonem, sed bonum aliquem Angelum immisisse somnum illum uxori Pilati, non ut impediretur mors Christi (sciebat enim Deus non fuisse impediendam), sed ut causam suam magis justificaret, et nullam excusationem peccati Pilato relinqueret, et fidem nostram magis confirmaret. Nam si dæmon voluisset impedire mortem Christi, potius per Judæos quam per uxorem Pilati id facere aggrediretur. Ita sentiunt super Mat. c. 27, Orig., Hilar., Hieron., Chrys., Theoph., Euthy.; Ambr., Luc. 23; Aug., serm. 121 de Tempore; et Athan., serm. de Passione et cruce Domini, qui tamen fatetur, dæmonem in morte Christi fuisse sollicitum de perditione sua, et ideo incitasse Judæos ut dicerent verba illa: *Si Filius Dei est, descendat de cruce, et credimus ei. Qui Domini mortem, inquit, evitare cupiebat, ne aliis salus efficeretur.*

13. Ad posteriorem partem respondetur, quanquam peccatum intelligentium Christum fuerit maximum, tamen multo majorem esse divinam gloriam, quæ ex Christi morte

et hominum reparatione resultat. Item multe majus malum esse, quod consurgit ex infidelitate et idololatria fere totius orbis. Denique, cum dæmon sit superbissimus, nunquam committeret aliquid ex quo futurum sciret, ut imperium in homines amitteret, et cultu ac adoratione privaretur.

SECTIO IV.

Utrum ex Christi miraculis cognoverint Judæi Jesum fuisse Messiam promissum, verumque Deum.

1. Diximus de Angelis, superest dicamus de hominibus, et tota quæstio revocatur ad Judæos. Illi enim et Messiam sperabant, et notitiam divinarum Scripturarum habebant, et doctrinam Christi ac miracula experti sunt. Agit autem ex professo de hac re D. Thomas infra, q. 47, art. 5; non potuit tamen hoc loco prætermitti, ne res inter se connexas separarem. Supponimus ergo ex hactenus dictis, potuisse Judæos, præsertim qui Scripturas noverant, et verba Christi audiebant, ejusque miracula conspiciebant, cognoscere illum esse Messiam, et consequenter verum Deum. Probatur primo de cognitione per fidem infusam, quia illud objectum satis superque proponebatur, ut expositum est. Secundo de cognitione per fidem humanam vehementer inducentem intellectum ad assentiendum, propter motiva sensibus manifesta, supposita præsertim prædictione Scripturarum, ad quas Christus semper illos provocabat, dicens: *Scrutamini Scripturas, quia illæ testimonium perhibent de me. Et si Moysi crederetis, crederetis et mihi.* Neque hoc indiget majori probatione, et ex iis quæ dicemus evidentius constabit. Difficultas ergo superest, an de facto Judæi convicti fuerint ad hoc credendum. Ratio difficultatis est, quia supra diximus miracula Christi conjuncta Scripturis et testificationi ejus evidenter ostendisse ipsius divinitatem; evidentia autem cogit intellectum; ergo coegit etiam intellectus Judæorum. In contrarium vero est, quia etiam supra diximus hanc evidentiam non oriri, nisi veritas miraculorum evidenter cognoscatur, et prophetiæ et testimonia perspicue intelligantur; at vero homines nec possunt evidenter cognoscere veritatem miraculorum, quia non intuentur naturas rerum, nec Scripturas possunt adeo clare intelligere, præsertim prophetias. Ad hæc, quamvis nonnulla signa Messiæ in Jesu viderentur impleta, ta-

men multa alia implenda supererant, præsertim ea quæ de secundo Christi adventu sunt; neque vero erat illis evidens, quæ essent de primo, quæve de secundo adventu intelligenda. Denique hæc evidentiâ etsi aliquis esse possit, consurgit tamen ex plena multarum rerum et circumstantiarum consideratione; ingenium autem humanum vix potest ita omnia necessaria considerare, quin aliquid prætermittat, præsertim, si aliquo pravo et repugnante affectu ducatur.

2. In hac re prima sententia est, Judæos cognovisse Jesum esse Messiam, et verum Deum, et nihilominus ex ira atque odio, quod contra eum animo conceperant, illum interfecisse. Ita sentiunt multi Patres exponentes parabolam vineæ, Mat. 21, ubi ait Christus: *Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum.* Per quos agricolas Judæos significabat, ut ipsi etiam statim intellexerunt; significat ergo eos cognovisse Christum. Ita Orig., tract. 49 in Mat., ubi inquit Judæos cognovisse Christum, Filium Dei, eumque nihilominus occidisse, sicut Herodes credidit Christum nasciturum in Bethlehem, et nihilominus quæsitum illum ut occideret, etiamsi esset Messias promissus, Deique Filius. Chrys. quoque, hom. 40 Imperf., aperte dicit: *Ea omnibus operibus ejus cognoverunt eum Filium Dei esse et hoc significant dicentes: Hic est hæres.* Rursus Beda, l. 3 in Mat.: *Manifestissime (inquit) probat Dominus non per ignorantiam, sed per invidiam principes Judæorum crucifixe Filium Dei. Intellexerunt hunc esse de quo dictum est: Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, quæ verba usurpavit Ans., eodem loco. Et confirmari hæc sententia potest ex verbis Christi, Joann. 15: Si non venissem, et locutus eis non fuisset, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo, quia et viderunt, et noverunt me, et Patrem meum. Et ideo, c. 12, vocat eos Christus obsecatos et obduratos; non ergo ex ignorantia, sed ex malitia Christum cognitum occiderunt.*

3. Secunda sententia esse potest, Judæos cognovisse Jesum esse Messiam, non tamen esse verum Deum. Ita sentit Euth., in Mat., suo c. 50. Dicit enim Christum agnitum esse a Judæis regem Israel a Prophetis prædictum, non tamen Filium Dei. Idem insinuat Theoph. ibidem, dicens agnovisse Christum; idem Burgens., Matt. 21; Sixtus, l. 6, anno 98; Lyran., Mat. 21. Et hæc opinio quoad par-

tem negantem fundari potest in illis verbis, 1 Cor. 2: *Quem nemo principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixerant, quæ (ut supra vidimus) a multis Patribus exponuntur de principibus Judæorum.* Neque hic habet locum expositio, quod ignoraverint fructum redemptionis, non autem Christi divinitatem. Quia Judæi non habebant tam pravum affectum et odium in Deum, sicut dæmones, ut verum Deum agnitum interficere auderent. Et confirmari potest. Nam sæpe voluerunt Judæi Christum interficere, eo quod se Deo æqualem faceret, ut patet Joann. 8 et 10: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Denique non videntur Pharisei intellexisse Messiam futurum verum Dei Filium naturalem; ergo, licet cognoverint esse Messiam, non inde fit cognovisse etiam Filium Dei. Antecedens colligi potest ex Mat. 22, ubi Christus Phariseos interrogavit: *Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est?* Ipsi autem respondentibus esse filium David (quoniam revera sentiebant futurum purum hominem), objecit rursus verba ejusdem Prophetæ: *Dixit Dominus Domino meo, etc.,* ut concluderet esse plus quam hominem, et plus quam filium David.

4. Tertia sententia est, Judæos neutrum cognovisse, scilicet, neque esse Messiam, neque verum Deum. Ita sentit Abulensis, Mat. 21, q. ult.; Cajet., Luc. 23, circa illa verba: *Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt;* ubi ait ignorasse Judæos, quis esset ille, quem crucifigebant. Expressius id docet hic, q. 47, a. 5. Quorum potissima ratio est, quam superius tetigimus. Quia ipsi sperabant Messiam futurum regem temporalem. Nihil enim spirituale in divinis promissionibus ac prophetiis intelligere valebant, ut in priori tom., disp. 1, sect. 4, fuse declaravimus, ubi plures ex Patribus retulimus hoc docentes, et in Evangelio habemus nonnulla vestigia. Nam ipsi etiam Christi discipuli in principio nihil altius de regno Christi cogitabant. Unde dicebant: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel, Act. 1;* et Luc. 24: *Nos sperabamus, quod ipse esset redempturus Israel,* scilicet, a Romanorum imperio. Denique filii Zebedæi (ut Patres notant) nihil aliud quam regnum temporale cogitabant, quando præcipuas in illo sedes petebant, Mat. 20. Cum ergo Judæi de regno Christi temporali cogitarent, et in eo nullum signum indicium-

ve ejusmodi regni cernerent, non videntur potuisse cognoscere eum esse Messiam.

5. *Judæi in Christum credentes, Messiam illum esse verumque Deum agnoverunt. — Credentes in Christum, qualem de ipso ejusque doctrina notitiam habuerunt. —* In hac quæstione primum oportet distinguere de iis Judæis qui in Christum crediderunt, vel de iis qui eum interfecerunt; nam de his posterioribus præcipue est quæstio. De prioribus autem breviter dicendum est, eos cognovisse Jesum esse Messiam ac verum Deum, sicut cognovit Petrus, quando confessus est: *Tu es Christus, Filius Dei vivi, Mat. 16;* et Martha, cum dixit: *Ego credidi quia tu es Christus, Filius Dei, qui in hunc mundum venisti, Joann. 11, juxta interpretationem Augustini, tract. 49; et Hilarii, lib. 6 de Trinitat. Ea vero cognitio solum erat per fidem, ut aperte constat ex verbis citatis, et ex illis quæ Christus dixit Petro: Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus.* Et fortasse in aliquibus, saltem in principio, non fuit illa fides cum certitudine necessaria ad fidem infusam, sed solum fides quædam humana propter apparentia motiva. Rursus intelligendum est, eos met, qui in Christum credebant, facilius credidisse illum esse Messiam quam verum Deum. Quia hoc posterius continebat mysterium altius et obscurius, quod (ut verisimile est) pauci distincte intellexerunt usque ad Christi resurrectionem et Apostolorum prædicationem; sed involute credebant Christum esse filium Dei cum insigni quadam sanctitate et excellentia. Quia vulgus non erat tunc capax majoris cognitionis, ut patet ex toto discursu Evangelii, et ex ignorantia quæ in aliquibus Apostolis erat nocte cœnæ, ut merito Christus eis dixerit: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me?* Joann. 14. Unde Petro dictum est, ex singulari Patris dono tantam tamque distinctam de Christo cognitionem ei fuisse datam; et de Martha Chrysostomus et alii probabiliter existimant non cognovisse distincte Christum esse Filium Dei naturalem. Ex his consequenter colligitur, hos, qui in Christum crediderunt, non omnes habuisse evidentiâ veritatis doctrinæ ejus, neque quod ipse esset Messias, aut Deus. Fuit quidem ipsis evidens, ipsum esse dignum fide, et prudenter fieri credendo illi (ut satis ex superioribus constat), non tamen fuit evidens vera esse quæ diceret, tum quia fere omnes erant simplices ac illiterati homines, qui non sciebant Scripturas. Tum etiam quia

non omnes videbant cuncta miracula, et multo minus eorum veritatem evidenter cernebant. Præterea, quia non omnes sciebant evidenter miracula illa fieri in confirmationem doctrinæ, aut non posse permittere Deum ut falsitatis prædicator talia signa faceret.

6. Non est autem incredibile, imo valde probabile, ac fortasse verum, nonnullos, qui miracula Christi viderunt, et in eum crediderunt, aliquando pervenisse ad evidentem cognitionem veritatis doctrinæ Christi, ac divinitatis ejus. Quod maxime credi potest de Apostolis, saltem post Christi resurrectionem (ut omittam B. Virginem, quæ multo antea hanc evidentiâ habuit). Ita docuit hoc loco Medina, super q. 42. Et suadet breviter. Quia (ut ostendimus) Christi opera, conjuncta cum ejus doctrina, et Prophetarum prædictionibus ad exitum jam productis, sufficientia erant ad præstandam hanc cognitionem evidentem in testificante; sed Apostoli hæc omnia considerabant et intelligebant. Nam imprimis veritas miraculorum satis evidenter illis erat nota. Quid enim evidentiâ quam Lazarum fuisse mortuum et postea vixisse? certe non erat minus evidens quam quemlibet alium hominem vivere; et idem judicium est de illuminatione cæci nati, et similibus operibus, quæ ex diuturnitate atque permanentia effectuum, et ex eorum frequentia satis sese ostendebant esse vera. Præsertim cum is, qui ea faciebat, et homines ad bonos mores institueret, et ad illos sese perfecte formaret, nullamque temporalem utilitatem ab hominibus quæreret, sed solum Dei honorem et gloriam, et honorum morum instaurationem. Accedit quod, dum ipsimet Apostoli faciebant miracula, evidenter sciebant se non iniisse fœdus cum dæmone, sed potius hostile bellum; sciebant etiam talia opera esse, quæ non poterant fieri vi dæmonis, et tamen fieri videbant virtute Christi, et in confirmationem doctrinæ ejus. Præterea evidenter conspexerant Christum a mortuis suscitatum (quantum humanis sensibus aliquid potest evidenter judicari); ergo, omnibus consideratis, evidens illis erat testimonium de Christi divinitate ac ejus doctrinæ veritate. Neque contra hanc evidentem cognitionem aliquid afferri potest, quod difficultatem ingerat. Quia hæc evidentiâ non excludit fidem ab homine; quanquam enim assensus hic evidens ex signis, non sit assensus fidei infusæ, nec tam perfectus aut certus, sicut ille, nec in substantia sua supernaturalis, sicut ille, quia ni-

titur solo humano discursu, et principiis, quatenus per sensus vel naturale lumen evidenter cognoscuntur, nihilominus tamen hujusmodi cognitio non excludit a subjecto fidem infusam, qua homo voluntarie certiori assensu credit, non humanis sensibus, sed divinæ veritati tanquam rationi assentiendi innixus. De qua re latius in 2. 2. disseritur.

7. *Plebs Judæorum non agnovit Christum esse Messiam ac Deum.*—Secundo, de aliis Judæis, qui non sunt Christum secuti, D. Thomas distinguit communem plebem a Judæorum principibus et Pharisæis, et de communi plebe docet non agnovisse Jesum esse Messiam, neque Deum; quæ sententia quoad hanc partem (si sano modo explicetur) mihi certa videtur. Quia isti (ut supponimus) non crediderunt in Christum fide voluntaria (agimus enim de illis qui per voluntatem non ei adhæserunt), nec etiam fide coacta, quæ evidentiam aliquam supponit. Quia ii non erant tam capaces ut possent ad evidentem cognitionem pervenire. Nesciebant enim Scripturas, nec virtutem miraculorum, nec sensum verborum Christi, neque alia multa, quorum perfecta cognitio ad hujusmodi evidentiam est necessaria. Non potest tamen negari fuisse in illo populo rumorem sparsum, et vehementem suspicionem exortam, quod Jesus esset Messias. Unde Joann. 7 dicebant quidam: *Ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt; numquid vere cognoverunt principes, quia hic est Christus?* statim vero subjungunt: *Sed hunc scimus unde sit; Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit.* Ex quo etiam dubitari non potest quin præter eos, qui vera ac infusa fide in Christum credebant, multi ex plebe interdum hoc crederent fide humana, sicut accidit in omnibus rebus quæ in ore vulgi circumferuntur, et per conjecturas eliciuntur. Et tales fortasse fuerunt multi ex illis qui Matth. 22 clamabant: *Osanna filio David;* et illi de quibus apud Joann., c. 7, subditur: *De turba autem multi crediderunt in eum, et dicebant: Christus cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quæ hic facit?* et infra: *Alii dicebant: Hic est vere Propheta; alii: Hic est Christus; alii: Numquid e Galilæa venit Christus? et facta est dissensio.* Itaque nullus ex his habebat evidentem cognitionem, sed fidem aliquam humanam cum formidine, vel tantum dubitationem et suspicionem. Alii vero habebant repugnantem sententiam, ortam, aut ex prava voluntate, aut ex levibus conjecturis, et nonnullis signis quæ videban-

tur non esse in Christo impleta, vel ex inconsideratione, vel denique ex timore principum, qui eos insectabantur, qui in Christum credebant. Nam (ut dicitur Joann. 9) *Jam conspiraverant, ut si quis confiteretur eum esse Christum, extra Synagogam fieret.* Quæ tamen omnia ad eorum ignorantiam excusandam satis non erant. Quia motiva ad credendum erant de se sufficientissima et urgentissima, et si quid habebant dubitationis, facta mediocri diligentia, poterant facile ab ipso Christo ejusque discipulis edoceri; timor autem humanus non poterat eos excusare, ut per se constat. Potuit autem illa ignorantia, culpæ gravitatem minuere, et ex parte excusare, et impedimenta auferre, ut postea facilius eos posset tanti peccati pœnitere. Unde Justinus, q. 108, ex iis qui Christum non agnoverunt, existimat fuisse eos qui post Christi mortem facile conversi sunt. Et eodem fortasse sensu dixit Beda, lib. 6 in Luc., cap. 94, Christum orando in cruce obtinuisse remissionem peccati eis qui ex ignorantia peccaverant, non aliis.

8. *Judæorum principes et Pharisæi divinitatem Christi ignorant.*—*Objectio.*—*Responsio.*—Tertio, de principibus Judæorum et Pharisæis, qui Christum persecuti sunt, verius videtur eos non cognovisse, Christum esse Filium Dei naturalem. Quod etiam D. Thomas docet, et in eo conveniunt auctores primæ et secundæ sententiæ, et ad id suadendum videtur efficacia ea quæ in confirmationem secundæ sententiæ adducta sunt. Quia (quidquid sit, an cognoverint illum esse Messiam) tamen (ut ego existimo) pauci vel nulli ex principibus Judæorum, qui eo tempore vivebant, intelligebant Messiam futurum verum Deum, neque mysterium incarnationis suspicabantur; et ideo in eo maxime scandalum patiebantur, quod Christus, cum esset homo, se prædicaret Deum; quod tamen nullum scandalum eis esset, si sperarent aliquem qui simul esset verus homo, verusque Deus. Dices: ergo non erat in tota Synagoga Judæorum, qui veram de Messia existimationem haberet. Respondetur: veram existimationem habebant, qui sperabant illum verum hominem, Prophetam sanctum ac Deo conjunctissimum, in qua vera cognitione implicite credebant reliqua quæ ad Christum pertinent, quod illis tunc ad salutem sufficiebat; pauci vero erant qui distincte altiora mysteria de Messia cognoscerent, et si qui erant, fuerant a Deo singulariter illuminati, ut Simeon, Anna,

Zacharias, Elizabeth, et alii, qui sine dubio Christo non repugnarunt, sed facile obtemperarunt. Fortasse etiam aliquis erat tam versatus in Scripturis, tamque sincere ac proprie eas intelligens, ut aliquid de divinitate Messiae, vel suspicaretur, vel opinaretur; sed in hoc nihil certi affirmari potest. Quia illi Judæi nullum signum aut vestigium dederunt talis cognitionis, neque tempore quo Christus prædicavit, neque postea; semper enim conati sunt Scripturas evertere, et ad falsos sensus detorquere.

9. *Pharisæi Christum non cognoverunt esse Messiam.*—Quarto (quod attinet, an cognoverint Jesum esse Messiam) existimo illos fuisse ancipites, vel inconstantes; multum enim et signis et prophetiis urgebantur et convincebantur. Unde quando actuali passione odii, iræ aut invidiæ non erant commoti, et obcæcati, videbantque signa Christi, et considerabant verba Prophetarum, existimo sæpe definito assensu, quamvis humano, et ex conjecturis, judicasse eum esse Messiam. Quia argumenta erant fortissima; quare, ablato impedimento pravi effectus vehementisque passionis, non poterant non interdum habere suum effectum. At vero (ut notavit Euthym., Luc. vigesimo tertio, et significat divus Thomas, super vigesimum primum c. Mat., et loco sup. cit.) suborta passione, vel timore humano, quidam facile ab hac persuasionem cadebant, quia firmam fidem non habebant. Nam (ut dicitur Joann. 12), *cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo Isaie Prophete impleretur: Exccecavit oculos eorum,* etc. Alii vero, quamvis in eadem opinione persisterent, non audebant eam profiteri propter hominum timorem. Sic Joannes eodem loco subjungit: *Verumtamen ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut a Synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam Dei.* Quocirca, tempore passionis Pharisæos et principes qui Christum crucifixerunt, verisimilius est tunc non credidisse illum fuisse verum Messiam, quod satis significavit eis Christus, quando in concilio interrogatus an esset Christus, respondit: *Si dixerero vobis, non credetis mihi,* Luc. 22; et Joann. 10, cum Judæi dicerent: *Quousque animam nostram tolles?* ipse respondit: *Loquor vobis, et non creditis mihi;* et c. 12 habentur verba supra citata. Ad hæc Petrus, Act. 3: *Scio quod per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri.* Nam, licet Cajetanus hic

dicat posse illam similitudinem intelligi in facto, seu in cooperatione ejusdem peccati, non tamen in modo, seu origine culpæ, tamen verba ipsa plane intellecta satis indicant utrosque ex ignorantia peccasse. Deinde Paulus, in lege edoctus ad pedes Gamalielis, dicit se misericordiam consecutum esse, quod ex ignorantia fecerit. Unde etiam colligi potest præceptorem ejus in lege edoctum eadem ignorantia laborasse; idem ergo credibile est de cæteris, saltem frequentius. Præterea hoc ipsum indicavit Christus affixus cruci, Mat. 23, illis verbis: *Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Denique cum Judæi magna Dei beneficia per Messiam sperarent, et hanc fidem et expectationem Messiae non mutassent, si sibi persuasissent hunc esse Messiam, et in hac persuasionem durassent, non potuissent illi mortem ac perniciem tanto studio machinari, ut hic etiam optime locum habeat quod Paulus dixit, 1 ad Cor. 2: *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixerunt.*

10. *Objectio.*—*Responsio.*—Neque contra hanc sententiam sic explicatam video aliquid objici posse, quod difficultatem habeat, nisi fortasse illud Matth. 24: *Hic est hæres.* Ex quo (cum in parabola dictum sit) non potest colligi firmum argumentum, tum quia non est necesse applicare singula verba parabolarum; tum etiam quia non omnia in proprietate et rigore dicuntur. Unde exponi potest eos dixisse: *Hic est hæres,* id est, hic se facit hæredem et Dei Filium, sicut, Sap. 2, de Judæis prædictum erat dicturos: *Filium Dei se nominat, morte turpissima condemnemus eum.* Deinde potest exponi: *Hic est hæres,* id est, qui primum locum in populo tenet, quemque omnes sequuntur et colunt. Præterea, Cajetanus inquit, illo verbo Christum sub parabola prædixisse, quod postea in concilio Judæi propriis verbis dixerunt: *Omnes credent in eum.* Dicere ergo: *Hic est hæres,* non fuit dicere: *Hic est Messias,* sed, hic est in quem omnes credent, et ita fiet dominus ac hæres populi Israel. Jansenius vero dicit illo verbo significatum esse, vel quod multi ex populo credebant, vel quod ipsi principes facile cognoscere poterant et debebant; quæ responsio colligitur ex Justin., q. 140. Denique id dici potuit, quia interdum convincebantur ad id credendum, quamvis postea propter humanum timorem aut avaritiam, aliosve affectus, in sua cæcitate permanserint.

11. Ultimo vero addendum in hac quæstio-